

miniscuntur Rabini, scilicet quod Thamar stupro Amnon resistens, cum eo luctando ejus genitalia ita læserit, ut ea deberint abscindi; sed hæc ce- rebri Rabbinici crasse sunt imaginationes et fig- menta.

16. **QUE RESPONDIT EI: MAJUS EST HOC MALUM QUOD NUNC AGIS ADVERSUM ME, QUAM QUOD ANTE FECISTI, EX- PELLENS ME,** — tum quia expulsio hæc erat publica et infamis, cum violatio fuisset secreta et occultata; tum quia probrosa expulsio augebat dolorem ex violatione conceptum; cum enim Amnon debuisset eam a se violatam solari, eique blandiri, hos- tiliter et ignominiose expulit eam; tum quia Tha- mar sperabat quod Amnon vitium sibi illatum tegeret, vel illud celando, vel se in uxorem du- cendo: jam autem expulsa videbat et vitium pu- blicari, et conjugium suum ab Amnone refutari; tum denique quia per hanc expulsionem cerne- bat se ab omnibus contemnendam et repudia- dam, ut nullus eam sibi postulari uxorem. Puta- bant enim plerique Amnon vitium aliquod in ea deprehendisse, ob quod eam ita inhumaniter ex- pulisset. Quare quisque, hoc vitium fugiens, eam spernebat; unde ipsa domi moesta et desolata con- tabuit, ut dicitur vers. 20.

19. **IMPOSITISQUE MANIBUS SUPER CAPUT SUUM,** — ut præ pudore manibus velaret faciem, in qua est sedes verecundiæ.

20. **SED NUNC, SOROR, TACE: FRATER TUUS EST,** — *q. d.* Gravior esset injuria, si ab extraneo, vel ho- mine vili oppressa fuisses: jam autem violata es a filio regis primogenito, fratremque tuo, a quo ca- vere non debebas. Quare facile sciens omnes te non consensisse, sed vi oppressam a filio regis, cui omnia licent. Hac ergo cogitatione solare et mi- gna dolorem tuum. Ita Abulensis.

21. **NOLUIT CONTRIBUSTARE SPIRITUM AMNON FILII SUL.** — Hæc verba non sunt in Hebræo, Chaldeo et Septuaginta. Peccavit David non corrigendo, nec castigando Amnon filium suum de hoc tam infami stupro, præsertim cum lex, *Levitici* xx, 17, id ju- beat. Quare justo Dei judicio inde secuta sunt tot tantaque mala, damnaque tam Davidi quam Am- noni: nam hic occisus vitam perdidit, ille pene

regnum eum vita amisit, alescente sororis suæ violationem Absalomo. Ita Abulensis, qui censet Davidem debuisse Amnonem ob stuprum morte punire, uti sancit lex; licet Cajetanus eum excuset a tam gravi punitione, eo quod crimina esset oc- cultum, nec ullo teste probari posset. Adde quod Amnon esset primogenitus, hæres et successor in regnum, ideoque in vita ob publicum reipub- licæ bonum servandus, et mitiori pena casti- gandus.

23. **FACTUM EST AUTEM POST TEMPUS BIENNI.** — Hinc patet eandem Amnon contigisse biennio post stuprum ab eo illatum Thamar: tam cito Dei vin- dicta persecuta est sceleratum et incestum, eumque vita et regno privavit. Erat enim primogenitus, o Davidi in deliciis, ideoque in ejus regnum succes- surus.

24. **ECCE TONDENTUR OVES SERVI TUI.** — Absalom ergo filius regis erat pecorarius, curamque habe- bat ovium et pecorum, uti et ceteri principes il- lius ævi candidi et simplici.

25. **BENEDIXIT EI,** — *q. d.* David Absalomo bene precatus est, itaque eum dimisit, dicendo, *v. g.* Vade in pace. Unde Vatablus vertit, *valedixit ei.*

29. **FUGERUNT,** — timentes ne occiderentur, uti Amnon; quasi Absalom solus cuperet esse super- stes, ut patri in regnum succederet, ne quis alius fratrum præferretur. Sicut Turca, cum habet pre- lem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum inva- dent.

32. **QUONIAM IN ORE ABSALOM ERAT,** — *q. d.* Am- non erat in Absalomi oculis et ore, ut frequenter de ultione stupri ab eo sororis suæ illati loquere- tur. Quod enim est in corde, hoc ebullit in os.

37. **ABSALOM FUGIENS ABIT AD THOLOMAM FILIUM AMMIUD REGEM GESSUR.** — Fugit ergo ad avum suum maternum; ipse enim erat filius filie Tholomai regis Gessur, uti dictum est capite iii, vers. 3. hic enim nepotem suum recepit, et tutatus est, eo quod ipse Thamar neptis pariter suæ stuprum ultus fuis- set cede Amnon stupratoris.

38. **FUIT III TRIBUS ANNIS.** — Hinc patet chro- notaxis rerum tunc gestarum, quam assignavi cap. xii, vers. 25.

3. et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus. 4. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecutis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me, rex. 5. Et ait ad eam rex: Quid causa habes? Quæ respondit: Heu! mulier vidua ego sum; mortuus est enim vir meus. 6. Et ancilla tua erant duo filii qui rixati sunt adversum se in agro, nullasque erat qui eos prohibere posset; et percussit alter alterum, et interfecit eum. 7. Et ecce consurgens universa cognatio adver- sum ancillam tuam, dicit: Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus hæredem; et quarunt extinguere scintillam meam que relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquie super terram. 8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te. 9. Dixitque mulier Thecutis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei; rex autem et thronus ejus sit innocens. 10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. 11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad oleiscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. 12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. 13. Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectionem suam? 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, que non revertuntur; nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui ab- jectus est. 15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsentem populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. 16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium qui volebant de hereditate Dei delere me, et filium meum simul. 17. Dicit ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedic- tione nec maledictione moveatur; unde et Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere, domine mi rex. 19. Et ait rex: Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex; servus enim tuus Joab ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud; tu autem, domine mi rex, sapiens es sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. 21. Et ait rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum; vade ergo, et revoca puerum Absalom. 22. Cadensque Joab super faciem suam in terram adoravit et benedixit regi, et dixit Joab: Hodie intellexi servus tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex; fecisti enim sermonem servi tui. 23. Surrexit ergo Joab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Jerusalem. 24. Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit. 25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, et decorus nimis; a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravaba- bat eum casaries), ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filii tres, et filia una nomine Thamar, elegantis formæ. 28. Mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. 29. Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem, qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille nolisset venire ad eum, 30. dixit servis suis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem mes- sem hordei: ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Joab per Thecutis blandiloquentiam Absalomum reconciliat Davidi, sed ita ut ipse eum ad conspectum non admittat. Deinde, vers. 23, describitur Absalomi pulchritudo, casaries, proles ac successio segetum Joab: qua re excisus Joab eum ad Davidis osculum admitti procurat.

1. Intelligens autem Joab, filius Sarvia, quod cor regis versum esset ad Absalom, 2. misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eam: Lugere te simus, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum,

partem agri igni. 31. Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit: Quare succederunt servi tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Joab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse; obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meae, interficiat me. 33. Ingressus itaque Joab ad regem nuntiavit ei omnia; vocatusque est Absalom et intravit ad regem, et adoravit super faciem terræ coram eo; osculatusque est rex Absalom.

1. COR REGIS VERSUM ESSET AD ABSALOM, — tum quia ipse erat tertius ab eo genitus filius, ideoque proximus fere ut succederet ei in regnum; tum quia ipse erat pulcher et specie regia, uti dicitur vers. 23; tum quia justam habuerat ex parte cædis occasionem, scilicet stuprum sorori suæ illatum, ejus pudicitiam vindixisset. Hoc enim apud omnes magne dicebatur laudi, celebratumque opus heroicum. Unde Gentiles celebrant Lucretiam, quæ a Sexto Tarquinio Tarquinii Superbi regis filio per vim violata, ob dolorem et amorem pudicitiam sese confodit. Qua de causa Tarquinius cum suis urbe pulsus est, et pro regibus consules surrogati sunt Junius Brutus et L. Collatinus, Lucretiæ maritus. Vide Valerianum Maximum, lib. VI, cap. 1, ubi inter alia hoc memorabile recenset: « Virginius, inquit, plebeii generis, sed patricii viri spurius, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non peperit. Nam cum Appius Claudius decemvir filie ejus virginis stuprum, potestatis viribus fretus pertinacius expeteret, deductam in foro puellam occidit: pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit. »

2. MISIT THECAM, ET TULIT INDE MULIEREM SAPIENTEM. — Theca erat urbs in monte sita, uberimè abundans pascuis, distans a Bethlehem sex millibus passuum, a Jerusalem vero novem. Ita S. Hieronymus. Adrichomius et alii. Hinc fabulantur R. Salomon et R. David mulieres et viros Thecæ fuisse cæteris sapientiores; eo quod Theca sit fertilis olearum et olivarum: regiones enim oleis fertiles gignere sapientes; uti eadem Theca genuit Amos et Habacuc Prophetas: imò Rabbinii asserunt Thecitem hanc fuisse aviam Amos prophete, sed nullo id argumento, nisi hoc quod uterque ortus sit ex Theca, probant.

3. ANGILLE TUE ERANT DUO FILII QUI FIXATI SUNT, ETC., ET PERCUSSIT ALTER ALTERUM. — Hebræi, et ex eis Rabanus et Angelomus, censent hanc non esse fabulam, sed veram historiam, quæ mulieri huic, ejusque duobus filiis contigit, quam ipsa ex pari applicavit Absalomo et Ammoni. Verum cæteri passim censent esse fabulam ad rem apposite confectam, idque satis indicat ipsa narratio.

Porro profunder utitur parabola hæc, quæ rex contra seipsum sententiam proferret, ut, postquam indicasset servandum esse filium mulieris qui occiderat fratrem, ex hac lata a se sententia animadverteret, servandum quoque sibi esse Ab-

salomum qui fratrem Amnonem occiderat. Simili parabola usus est Nathan, cap. xii, quæ David persuasit adulterii sui penitentiam. Discat hic, cum magnates, divites, potentes, superbos sibi que præfidentes de quopiam vitio scribere cupis, illis non loqui in secunda, sed in tertia persona; quasi non ipsos, sed tertium aliquem hujus vitii reum arguere velis. Sic enim ipsi eam æquanimitè ferent, ac sagaciter coincident id de se dici, sed corripientem ex modesta et verecundia non audere se nominare, quod vulgo dicitur: « Vapulet canis, ut leo metuat et sapiat. »

7. ET QUÆRUNT EXTINGUERE SCINTILLAM MEAM, QUÆ RELICTA EST, — id est, filium unicum, qui mihi relictus est, ut sit scintilla, quæ meam viri- que mei familiam pene exstinctam reaccendam, redintegret et propaget. Sicut enim consumpto igne relinquuntur faville et scintille sub cinere, ex quibus ignis per sulphurata reaccendit et resuscitari possit; sic exstinctis filiis cæteris ulius relinquuntur, quæ scintilla, ex qua familia propagat suscitetur, ac nomen et memoria conservetur. Sic Cicero, « scintilla belli, » vocat belli reliquias. Nota appositam metaphoram.

Anima enim et vita comparatur igni, quia ipsa in calore, qui igni est proprius, consistit. Rursus sicut ignis ignem inflammando, sic homo hominem gignendo propagat; tertio, quia sicut ignis luces et splendet, sic et vita; quarto, sicut una lucerna deficiens accendit aliam, in qua quasi superstes luces et fulget, sic et homo moriens, in filio quasi superstes manet et vivit: in filio enim videtur parens, sicut in imagine videtur exemplar; unde illud Psal. cxxxii, 47: « Illud producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. » Eadem metaphora usi sunt Gentiles, ut per lucernam vel lampadum quem in cursu alteri succedenti tradebat, significarent propaginem generationis et vite. Unde Lucretius:

Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.

Sic Plato, lib. VI De Legibus, ait, « oportere cives operam dare generandæ proli, ut vitam quam ipsi a majoribus acceperunt posteris tradant, quasi lampada ardentem, in qua ipsi luceant. »

8. VADE IN DOMUM TEAM, ET GO JUREBO PRO TE, — g. d. Curabo filium tuum servari, tibi que reddidit incolumem. Quæres, an justum sit hoc Davidis iudicium, quia lex Dei jubebat homicidam occidi, multo magis fratricidam, qualis erat hic? Respon-

deo: Lex jubebat occidi homicidam publicum, ejus scilicet homicidium publice in iudicio per testes probari poterat. Nam lex Deuter. xvii, 6, jubet ne quis occidatur, nisi duobus testibus convictus. Hic autem erat fratricidium secretum, cui nullus interfuerat testis, ut dictum est vers. 6. Quare hic iudicium damnaari occidique non poterat. Ita Vatablus. Rursum lex jubebat occidi homicidam voluntarium, non vero repentinum et casualem, qui scilicet absque ullo precedente odio, casu aliquem occiderat (ut erat hic); unde ad eum salvandum, Numer. xxxv, 11, Deus constituerat urbes refugii, ut ad illas confugiendo maneret illas et supplicii expertus. Ita Cajetanus et alii.

9. IN ME, DOMINE MI REX, SIT INIQUITAS, ET IN DOMUM PATRIS MEI: REX AUTEM ET THRONUS EJUS SIT INNOCENS. — Dicit hoc Thecutis amice blandiendo Davidi, ut illi omnem eximat scrupulum condonationis homicidii, ipsumque in ea plane confirmet ac reconciliet Absalomo fratricidæ, g. d. Si quid in hac condonatione peccatum est, opto ut peccati hujus poena non in te, o rex, sed in meæ meamque domum tota devolvatur. Nolim enim in te propter me quidquam mali recidere; sed oro Deum ut illud omne in meum caput reflectat. Sic Rebecca filio suo Jacob timentis patris maledictionem, si se ipsi pro Esau fratre substitueret, respondit: « In me sit ista maledictio, fili mi, » Gen. xxvii, 43. Et Pilato trepidanti ad Christi condemnationem, Judæi, ut eum ad illam animarent, succlamarunt: « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, » Matth. xxvii.

13. ET LOCUTUS EST REX VERBUM ISTUD UT PECCET, — scilicet « contra populum Dei, » ut præcessit. Thecutis hæc post parabolam descendit ad ejus scopum, ut scilicet rex eam applicet Absalomo fratricidæ, eique eadem condonet: quare novæ hie rationes afferit et multiplicat, quibus Davidem ad ei parcendum impellat. Prima est hæc, g. d. Absalom post Amnonem quasi proximus est tibi in regnum succedat, eumque populus amat, et optat ut succedat: consule ergo posteritati tuæ, consule regno tuo, consule populo tuo, ut scilicet ei idoneum heredem tuum et successorem conserves, qualis est Absalom: alioqui peccabis et in te et in populum tuum, quod eum tanto principe, quantus est Absalom, privaris. Alii: « ut peccet, sic explicant, g. d. Nisi Absalomum illico revoces, idololatriæ et aliorum peccatorum eris ei occasio. Ipse enim exsul degit apud avum suum maternum regem Gessur, qui est idololatra, æque ac ejus alicui, qui Absalomum in suam idololatriam cæteraque sua vitia pellice et satagunt.

14. OMNES MORIUNTUR, ET QUASI AQUÆ DILABIMUR IN TERRAM: QUÆ NON REVERTUNTUR. — Est hæc secunda Thecutis ratio, ut David Absalomo det veniam, g. d. Vita hominum fluxa est et evanida; multo magis fratricidam, qualis erat hic? Respon-

debuisset brevi mori, uti omnes morimur; Absalom quoque brevi morietur: non ergo quærenda est a te cædis vindicta, et mors Absalomi, quam ipsa natura eidem brevi irrogabit, g. d. Quam, o rex, de Absalomo ulionem queris? mortemne? at jam moritur. « Omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur, » Hebræa habent: Omnes morimur, et instar aquæ in terram effusæ, quæ rursum colligi et congregari nequit, subaudi dilabimur et diffuimus in mortem, et terram ex qua plasmati sumus, g. d. Omnes quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis et sepulcri, quæ es « domus æternitatis » nostræ, Eccli. xii, 5. Rursum anima nostra brevi in morte exiit e corpore, nec in illud revertetur ante æqualem resurrectionem, ait Vatablus, aut potius generaliter intellige non fluminis, sed pluvie; hæ enim in terram dilapsæ colligi nequeunt, g. d. Sicut terra absorbet pluviam, ut nil ex ea remaneat, quod rursum congregari et colligi possit: ita quoque vita nostra et corpus in mortem et terram, ex qua formatum est, redit, ut reverti et rursum colligi, animeque vitaliter uniri nequeat, nisi super naturam per Dei omnipotentiam, quæ omnia ostendit in communi omnium resurrectione. Comparat ergo vitam nostram aquæ non fluminis pertransuenti, sed pluvie delabenti in terram, ibique absorptæ et evanescenti, g. d. Amnon jam mortuus est, nec potest revocari ad vitam, sicut nec aqua effusa rursum colligi potest, ait Procopius: utique ergo Absalomum persequeris, nisi ut mortem morti, et dolorem dolori tuo addas? brevi enim Absalom quoque morietur, et instar aquæ dilabetur in terram, nec ad vitam revocari poterit.

NEC VULT DEUS PERIRE ANIMAM. — Est hæc tertia ratio petita ab imitatione clementiæ Dei, quæ sæpe ad preces vel peccatorum, vel sanctorum pro peccatoribus orantium miligat, vel revocat sententiam mortis contra eos latam.

17. UT FIAT VERBUM DOMINI MEI REGIS, SICUT SACRIFICIUM, — quod in odorem suavitatis Deo offeritur, g. d. Sicut sacrificium pro peccato oblatum, Deo est gratissimum; si hoc votum meum pro Absalomi peccato condonando, tibi, o rex, oblatum sit, queso, pariter gratissimum. Tu enim es quasi Deus Noster terrestris, et quasi nomen quoddam Israelis, noster legit eum Septuaginta לַיְהוָה *l'Yehovah*, id est *in sacrificium*; jam enim Chaldæo aliis punctis legit *l'innacha*, id est in requiem; unde vertunt, g. d. Jubæat rex Absalomum esse in quiete et salvum.

SICUT ENIM ANGELUS DEI, SIC EST DOMINUS MEUS REX, UT NEC BENEDICTIONE, NEC MALEDICTIONE MOVEATUR. — Thecutis adulando captat Davidis benevolentiam, g. d. Libere loquar, quia humilitas tua, o rex, instar Angeli omnia tranquillo audit, tam mala quam bona, nec laudibus vel vituperis minisque flebitur, sed sincere de omnibus iudicat, uti spero quod hic pro me iudicet.

cabit, scilicet decere clementiam tuam, ut Absalomo filio parcat.

19. NUMQUID MANUS JOAB TECUM EST? — *q. d.* Numquid opera et directione Joab hæc omnia agis et dicis?

NEC AD SINISTRAM, NEC AD DEXTERAM EST, — *q. d.* Non est aliud quam quod sagacissime es odoratus, scilicet me hæc omnia agere instinctu Joab.

21. ECCE PLACATUS FELI VERBUM TUUM, — ut parcam Absalomo, eumque ab exilio ad me revocem. Quæres, an peccavit David parendo Absalomo homicidæ, cum lex jubeat homicidas occidi? Respondet Cajetanus leges generatim decernere quod communiter et regulariter agendum est, singulares autem casus prudentiæ Principis relinquere. Talis erat hic: erat enim fratricidium a filio regis commissum, qui fugerat ad avum suum regem Gessur Gentilem. Quare periculum erat ne avus juvaret Absalomum quasi nepotem suum, itaque post mortem Davidis bella orirentur de successione in regnum inter filios Davidis, quæ ut vitaret David, sapienter pepercit Absalomo.

25. PORRO SICUT ABSALOM, VIR NON ERAT PULCHER IN OMNI ISRAEL, — *q. d.* Erat pulcherrimus omnium Israelitarum. Meminit hic Scriptura pulchritudinis Absalomi incidenter, ut innuat quam ob causam ipse omnibus fuerit acceptus et gratiosus, utque topologie indicet quam vana sint omnia bona hujus vite, et quam malis permixta. Absalom enim pulcherrimus corpore erat, a terribus mente, ideoque in mortem furentissimam incidit, nimirum, sicut ait S. Augustinus, lib. XXII *de Civit.*, ut ostendatur hujus vite dulcedinem amaritudinibus et ærumnis respersam esse, ut alia vita queratur, quæ nulla amaritudine perturbatur. Vide Abulensem hic, *Quest. XX*, aliis exemplis id illustrantem.

Porro eximia hæc corporis pulchritudo arguebat anime deformitatem. Natura enim omnem suam vim exerceat in exornando corpore; unde animam inornatam reliquerat, ut patet ex ejus ambitione. Et solet Deus sua bona partiri. Unde mulieribus dat pulchritudinem, viris judicium, juvenibus robur, senibus prudentiam. Audi S. Cyrillum, homil. in illud, *Utinam in carissimis*, II *Corinth.* cap. XI: « Quid enim, inquit, ape utilius, quid pavone pulchrius? quid formica sapientius? Et apud dulcedinem in se habet, pavo vero solummodo in pennis est, non in fructu decorus; formica vero contempnitibus hominibus, sed magistra virtutum est. » Idem præclare, homil. 37 in *Genes.*, sub finem: « Hoc, inquit, studium in ornando corpore internam indicat deformitatem; et hujus delicie, illius manifestam facit famem; et hujus vestium sumptus, illius indicat nuditatem. Impossibile enim est aliquam agere curam anime; et tanti facere corporis pulchritudinem et ornatum. » Et S. Hieronymus, epist. ad *Puritan.*, loquens de Magdalena: « Meretrix, inquit, illa in Evangelio baptizata lacrymis suis, non habuit

criepantes mitras, etc. Quanto fœdior, tanto pulchrior. » Et paulo post: « Ornatus, inquit, iste non Domini est; velamen istud Antichristi est. Quæ fiducia erigit ad cælum vultus, quos conditor non agnoscit. »

26. SEMEL AUTEM IN ANNO TONDEBATOR, QUIA GRAVABAT EUM CESARIES. — Hebræice, *a fine dierum in dies tondebatur*, id est quotannis, sive anno recurrente, tondebatur. Ita Cajetanus, Arias, Pagninus, Vatablus et alii. Perperam ergo Hebræi apud S. Hieronymum vertunt, *tondebatur de triginta in triginta diebus*, id est singulis mensibus. Perperam quoque Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. VIII, ait: « Cujus capillis tanta erat cesaries, ut ex octo diebus tonderi potuisset. » Ut hanc absurditatem tegeret Galenius Josephi ex Græco in Latinum interpres, ex se hæc substituit: *Tanta fuit ejus cesaries, ut intra octavum quinque mensum ad decem tonsis, hoc est ad quinque pondus accresceret*; quod pariter falsum est, et Scripture hoc loco repugnat. Porro Absalom gestabat comam per annum, non quod Nazareus esset, ut volunt Rabbinii, sed quod pulchritudinis et comæ esset studiosus. Unde et in pœniam ex ea suspensus occubuit cap. XVII.

PONDEBATOR CAPILLOS CAPITIS SUI DUCENTIS SICLIS. — Narratur hic capillorum multitudo, ad designandam Absalomi pulchritudinem; ad hanc enim non parum facit polueta coma, et cesaries densa. Porro siclus erat moneta ponderans quatuor drachmas, hoc est dimidium unciæ; quare siclus, si erat argenteus, erat ejusdem pretii et ponderis, cujus nunc sunt Romæ 4 julii, et in Hispania 4 regales Hispanici: sin aureus esset, pœdebatur et valebat 4 coronatos Francicos quorum quisque valet duodecim julios, sive regalos. Ducenti ergo sicli ponderabant centum unciæ, quæ faciunt octo libras cum quinq̄ uncis, si libram accipias communem duodecim unciarum. Unde nonnulli apud Abulensem et Lyranum quos sequitur noster Sanchez et Salianus, consentes hoc pondus comæ esse nimium, pro pondere subsistunt pretium, quasi coma Absalomi fuerit flava, densa et rutilans, ideoque a feminis ad capillatorem sibi ex ea faciendam expetita, ac tanti aestimata, ut venderetur ducentis siclis argenti, qui faciunt octoginta aureos Romanos, quorum quisque continet decem julios. Verum hoc refutat Lyranus et Abulensis quasi pretium injustum, improbabile, et rem ineptam muliebribus ornamentis, nec Scriptura comam Absalomi commendat a colore, quod fuerit flava et rutila, sed a pondere. Et sane illa sententia videtur vim facere et torquere verba Scripture, nam Hebræum *772 sahal* non significat *appretiebatur*, vel *vendebatur*, sed *pondebatur*, uti verit noster, Septuaginta, Chaldaeus, Josephus, Vatablus, Pagninus, Cajetanus et alii passim.

Neque hoc pondus comæ mirum videri debet, tum quia illud, ut rem raram et novam hic recenset Scriptura, tum quia erat pondus comæ

totius anni; coma autem Absalomi erat densa, gravis, crebra et premissa, quæ toto anno succrescens facile in fine anni ponderabat octo libras, quod pondus Absalom sentiebat quidem, ideoque gravabatur, et ut se onere levaret, tondebatur: minus tamen sentiebat, quam si pondus aliquod extrinsecum octo librarum capiti suo imponisset; quia hæc coma erat capiti ei connaturalis, unde facile ab anima capitis sustentabatur. Sic enim non sentimus pondus corporis, quod est plus quam 30 librarum, quia anima illud informans, id ipsum quasi suum, sibi que intime unum sustentat: unde cum anima separata est a corpore, sentitur ipsum pondus corporis sive cadaveris, ut vix ab homine robusto portari possit.

27. NATI SUNT AUTEM ABSALOM FILII TRES. — Hi omnes statim ante patrem mortui sunt. Unde Absalom, cap. XVII, vers. 48, sine liberis fuisse dicitur. Ita Theodoretus.

ET FILIA ERA NOMINE THAMAR ELEGANTIS FORMÆ. — Venisimile est nomen hoc ei inditum a Thamar amita et sorore Absalomi: imo Sanchez opinatur filiam hæc aliud nomen proprium habuisse, scilicet *Maacha*, cognominatam vero fuisse *Thamar*, id est palmam, ab elegantia et pulchritudine. Tradunt enim Hebræi et Josephus, lib. VII, cap. VIII, quos sequitur Sanchez hic et Abulensis cap. XIV, vers. 20, hanc *Thamar* esse *Maacha*, quæ fuit uxor Roboam et mater Abie. Hæc enim, II *Paralip.* cap. XI, vers. 20, vocatur filia Absalom. Videtur ergo Absalom natus ex *Maacha* filia regis

Gessur, ut dictum est cap. III, vers. 3, nomen matris suæ *Maacha* indidisse filie suæ, quæ ob speciem cognominata sit *Thamar*. Josephus tamen inferioris agens de Roboam et Abia, lib. VIII, cap. III, asserit hanc *Thamar* filiam Absalomi fuisse non *Maacha*, sed matrem *Maacha*, quæ fuit uxor Roboam et mater Abia. Alii tamen censent quod Absalom, qui II *Paral.* cap. XI, vers. 20, vocatur pater *Maacha* uxoris Roboam, alius et diversus sit ab hoc Absalomo filio Davidis: nam idem, II *Paral.* cap. XIII, vers. 2, vocatur « Uriel de Gabaa. Nomen matris ejus (Abie) inquit; *Michaia* (sive *Maacha*, vel, ut Josephus vocat *Micho*), filia Uriel de Gabaa. » Atqui Gabaa erat tribus Benjamin. Ergo Absalom hic pater *Maacha*, qui alio nomine dicitur est *Uriel*, fuit ex tribu Benjamin. Hic autem Absalom pater *Thamar*, filius Davidis, fuit ex tribu Juda. Ergo diversus est ab Absalomo, qui fuit pater *Maacha*, et alio nomine dicitur est Uriel. Ita sentit Salianus et Abulensis, qui sententiam suam revocat II *Paral.* cap. XI, *Quest. XX*, et in cap. XIII, *Quest. VI*. Si quis, Josephum, lib. VIII, cap. III, sequens, diceret *Maacha* non esse *Thamar*, sed filiam *Thamar*, ad hoc argumentum responderet posset, *Thamar* hanc fuisse filiam Absalomi filii Davidis, ac nupsisse Uriel Benjaminite, ex eoque genitisse *Maacha*, quæ fuit uxor Roboam et mater Abie: quare *Maacha* hanc, II *Paral.* cap. XI, vers. 20, dicit *filiam*, id est *septem* Absalomi. Et hoc omnia adequat, ideoque valde est verosimile, uti dicam lib. III, cap. XV, vers. 2 et 10.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Absalom sollicitat populum, cum eoque conjurat contra Davidem in Hebron; quare David cum suis, vers. 14, fugit, ac, vers. 24, successores se sequentes cum arca revocavit in usum. Denique, vers. 30, ascendens montem Olivæ, nudis pedibus, sens et aperto capite, Chusai remittit in urbem, ut dissipet consilium Achitophel.*

1. Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum. 2. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum porte, et omnem virum qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom: Videtur mihi sermones tui boni et justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege, dicebatque Absalom: 4. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et iuste iudicem? 5. Sed et cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, et sollicitabatur eum. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, et reddam vota mea quæ voti Domino in Hebron. 8. Vovens enim voti servus tuus, eum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Do-

mino. 9. Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinae, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. 11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. 12. Accessit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrere augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom. 14. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinas, et percutiat civitatem in ore gladii. 15. Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia quaecumque praeceperit dominus noster rex, libenter exsequemur servi tui. 16. Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis; et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo; 18. et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Corethi et Phelathi, et omnes Gethai, pugnatore validi, sexcenti viri qui secuti cum fuerant de Getha pedites, praecedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Gethaem: Cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum; revertere, et redue tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. 21. Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex; quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 22. Et ait David Ethai: Veni, et transi; et transivit Ethai Gethaens et omnes viri qui cum eo erant, et reliqua multitudo. 23. Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat; rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam quae respicit ad desertum. 24. Venit autem et Sadoc sacerdos et universi Levitae cum eo, portantes arcam foederis Dei, et deposuerunt arcam Dei; et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de civitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem; si invenero gratiam in oculis Domini, reducat me, et ostendet mihi eam et tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places, praesto sum, faciat quod bonum est coram se. 27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O Videns, revertere in civitatem in pace; et Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. 29. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem, et manserunt ibi. 30. Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et aperto capite, sed et omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatus est autem David, quod et Achitophel esset in conjuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quaeso, Domine, consilium Achitophel. 32. Cumque ascenderet David summam montis in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. 33. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri; 34. si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom: Servus tuus sum, rex; sicut vii servus patris tui, sic ero servus tuus, dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes; et omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar; et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

1. IGITER POST HEC FECIT SIBI ABSALOM CURRUS, — quasi ambiens regnum, praesertim quia mortuo Amnone primogenito, secundo etiam Cheliab vel mortuo, vel minus apto ad regnum, ipse tertio loco genitus cap. iii, vers. 2, videbatur proximum habere jus ad regnum. Adde Absalomum fuisse superbum: nam ambivit regnum, vivente adhuc patre, illudque ipsi armis et vi extorquere conatus est: quae fuit insignis ejus tunc arrogantia, tum injustitia, tum impietas. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Absalomo*, tom. I: « Perdidit, ait, consilium Absalom, dum patricio cupit mercari imperium. » Et inferius ostendit eum fratricidio addidisse patricium, saltem mente destinatum, atque hoc fuisse penam illius: « Dum, inquit, in Absalom fratris occisi facinus non vindicatur, in patricium patris recidivum facinus iteratur. » Nimirum haec inter alias fuit poena a Deo inflictæ Davidi, ad puniendum ejus adulterium et homicidium. *Prima* enim poena fuit mors infantis ex adulterio nati; *secunda*, Amnonis incestus, et stuprum Thamar; *tertia*, Amnonis caedes per Absalomum; *quarta*, fuit Absalomi rebellio. Ambitio enim hominem excaecat, illique rationem eripit, ut eripuit Luciferi, de quo S. Bernardus, serm. 2 *De Verbis Isaiae*: « Miser, inquit, ipse qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo. » Idem fit illi, qui ambiunt praeturas. Unde S. Bernardus, *epist. 42*: « Curritur, inquit, in clero passim ab omni aetate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas Curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad Curas pervenerit. »

7. POST QUATUORAGINTA AUTEM ANNOS DIXIT ABSALOM AD REGEM. — Nonnulli ex Josepho pro *quadraginta* legunt, *quatuor*, sic enim habet Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. VIII: « Absalom quarto post reconciliationem anno oravit patrem, ut Hebronem adiret. » Josephum sequitur Theodoretus, Hugo, Abulensis, Adrichomius et alii, qui putant hanc rebellionem Absalomi configisse quarto anno post ejus reconciliationem, qui fuit regni Davidis 32, ut patet ex dictis cap. XII, vers. 24. Verum Hebraea, Chaldaea, Septuaginta, constanter habent *quadraginta*, non *quatuor*, itaque legunt S. Hieronymus, Glosa, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, ceterique interpretes prisci et moderni. Sed dissentiunt unde hi 40 anni computandi sint. Nam Vatablus numerat eos ab eo tempore, quo flebat a Samuele petierunt regem, quod ipse factum putat anno decimo principatus Samuelis. Sed errat in calculo: plures enim exinde fluxere anni; secundo, S. Hieronymus in *Tradit.* computat ab eo tempore, quo Saul occidit sacerdotes in Nobe, turbamque evertit. Alii numerant a morte Saulis, alii a cæde Goliath, alii a navitate Absalomi. Verum numerus annorum non respondet.

Dico ergo hos 40 annos computandos esse a prima unctione Davidis in regem, facta a Samuele I *Reg.* XVI, 13. Haec enim facta est, cum David ageret annum vigesimum; inde computata annos hos

40, pervenies ad annum ætatis Davidis sexagesimum, quo facta est Absalomi conjuratio, cum David in regno ageret annum trigessimum cum (regnum enim adii agens annum trigessimum), post quem adhuc decem annis regnavit, mortuusque est anno ætatis 70. Ita Tornielius, Salius, Emmanuel Sa, Paulus Burgensis, Abulensis et alii.

Unde opinantur nonnulli Absalomum hoc praetextu suam tyrannidem et rebellionem excusasse, quod sicut pater suus David Sauli socio suo Deo inobediens, ideoque impie et tyrannice imperanti a Deo surrogatus esset, unctusque a Samuele in regem anno ætatis suæ 20, sic pariter jam ipse patri impie et tyrannice imperanti, ac praesertim cum Bethabee adulteranti, et Uriam occidenti, pari jure et modo succederet. Unde et Semei Davidi Absalomum fugientem idem improperavit.

Ex dictis sequitur Absalomum, cum bellum movit Davidi, fuisse fere triginta annorum. Nam rebellavit, cum David in regno ageret annum trigessimum. Ipse autem sub initium regni Davidis ab eo genitus est, ut patet cap. III, vers. 3.

10. REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON, — quia in Hebron natus erat Absalom, cap. III, vers. 3, ubi patet pater David regnare coepit, et sacrificia obtulerat. Hebron enim ob sepultos in ea Patriarchas habebatur locus sanctissimus, et ab Israelitis frequentabatur: hic ergo Absalom fuit praetextus, et haec commoditas sceleris et conjurationis conflandæ. Ita Abulensis. Vide Absalom scelus, tyrannidem et patricium exaggeratam S. Chrysostomum, hom. *De Absalomo*, tom. I, vel quisque ejus est auctor; nam styli latini elegantia, et vocum allusiones indicat auctorem fuisse Latinum, non Graecum.

13. TOTO CORDE UNIVERSUS ISRAEL SEQUITUR ABSALOM. — Causam dat Abulensis, *Quaest. XIX, primam*, quod Absalom apud populum erat gratissimus, eiusque corda sollicitaret, suaque humanitate sibi devinxerat, ut patet ex dictis initio capituli. *Secundam* causam assignat, punitionem Dei: Deus enim hac ratione volebat implere poenam Davidi intentatam cap. XII, 21. Quare obiecti mortui populi dotes, et gratiam Absalomi, vita vero Davidis, ceteraque quae in eo displicebant vulgo: quo factum ut vulgus, novitatis appetens, Davidem fastidiret, et novum regem Absalomum ambiret. Obiecti haec ei Deus ob bonos finis a se intentos, sed praevidebat populum in eis abusurum ad rebellandum Davidi, idque permittere decrevit ad puniendam Davidis peccata. Vide dicta *Exod.* cap. VII, vers. 3.

14. ET AIT DAVID, etc.: SURGITE, FUGIAMUS. — Causam fugae dat S. Chrysostomus in *Psal. II*, quem tunc David dictavit invocans Deum in tanta persecutione, ut patet ex ejus titulo: « Fugiebat, ait, David filium suum, quoniam castitatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat. Fugiebat filium, quoniam legem Dei, quae dicit: Non occides, Non adultera-

bis, fugerat. Quoniam enim alienam agnam in domum suam introduxerat, et ejus pastorem interfecerat, quoniam erat e domo sua agnus, pastorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, sed ex domo sua in ipsum bellum incitatur, » etc.

Moraliter, disce hic quam vanum sit quod parentes gloriantur in filiis suis, quamque verum illud: « Hieronimi filii noxæ. » Nam sepe filii sunt degeneres, et parentum hostes. Ea tibi David tres genuit filios, quorum primus Amnon incestu sororem violavit; secundus Absalom fuit fratricida et parricida; tertius Salomon fuit idololatra et plane mulierosus. Quod mystice Judæis applicat S. Ambrosius, lib. I *Apolog. David*, cap. III: « Genuit David, inquit, duos filios, unum incestum, alium parricidam, eo quod incestus et parricidalis populus (Judæorum) affixio patibulo crucis, carmen proprii jugulariter esset auctoris. »

17. ET LEGIONES GEREI ET PHELETHI. — Quoniam iste fuerit dixi cap. VIII, vers. 28.

ET OMNES GERI. — Erant hi milites, non Philistin, sed Judæi, qui in omni persecutione Saulis Davidi adhaerant. Dicti sunt « Gethæi, » quod Davidem ex Judæa in Geth urbem Philistinorum fugientem secuti fuerant, ibique multo tempore cum eo habitaverunt. Ita Abulensis.

20. HÆC VENISTI, ET HODIE COMPELLERIS NOBISCUM EGREDI? — Hinc videtur quod Ethai fuerit Philistinus, scilicet Gethæus, atque paulo ante ex Geth migravit Hierosolytam, factusque sit proselytus, at Davidi se sociaret. Plura de eo disputat Abulensis, sed conjectando.

DOMINUS FACIET TECTI MISERICORDIAM ET VERITATEM (id est æquitatem, fidelitatem), QUIA OSTENDISTI GRATIAM ET FIDEM, — q. d. Opto oroque ut Deus tibi rependat gratiam et fidem quam mihi exhibuisti, ut scilicet sit in te misericors, et constans in beneficiendo, sicut tu mihi fuisti.

23. REX QUOQUE TRANSGREDIETUR TORRENTI CEDRON. — David hic fugiens Absalomum transiit torrentem Cedron, ut per montem Oliveti fugeret in desertum, ibique se absconderet. Unde fuit typus Christi, qui fugiens Judam proditorem et Judæos, eundem torrentem transiit. Absalom enim, ait Ducherus, fuit typus Judæ proditoris. Hinc et Absalom hebraice idem est quod patris pater, scilicet simulata et ficta; quia pater Christus pacem habuit, quam Judas non habuit, sed simulavit, cum scilicet eum osculando ab eo proditus est Judæis.

25. REPORTA ARCAM DEI IN URBEM, — scilicet in locum suum honorificum, a me illi erectum et ornatum, ne cum me exule exulare cogatur.

26. SI AUTEM DIXERIT MIHI: NON PLACES, PÆSTO SUM — ad ei obsequendum ut regno ejiciat, et exul vagusque per orbem oberrem, ac siam pauper et inops, ut etiam victum mendicare cogar. Vide hic miram Davidis humilitatem, obedientiam et resignationem, qua meruit in regnum restitui, magisque quam antea exaltari. Davidem imitatus

Ferdinandus II, modernus Imperator, cum rupe undique ab hostibus cingeretur, et quasi ad ranciam redigeretur, totum se Deo resignavit, et paratum ad imperium relinquendum, imo ad fortunam tenuissimam et paupertatem subventuram ultro se obtulit, ideoque sereno ac tranquillo semper animo æque ac vultu omnes hostium incursus sustinuit et superavit: quare a Deo tot victoriis ornari, ac tot beneficiis donis et gratiis, quales cernimus et miramur, cumulari meruit.

27. O VIDENS, REVERTERE. — q. d. O sacerdos, o pontifex, revertere in urbem, ut ei æque ac mihi prosis. Pontifex enim vocatur « Videns, » id est, Propheta, quia indutus rationali, in quo erat Urin et Tummim, Deum consulens excipiebatur ejus oracula, etque edicebat et prophetabat.

30. PORRO DAVID ASCENDEBAT OLIVAM, — scilicet montem Oliveti, cujus pars erat hic Olivus, sive collis. Eo ascendit, tum ut per eum fugiens Absalomum, iret in desertum ibique latebram, quæ erat ad meridiem, mons vero Oliveti erat ad orientem; tum ut in monte Olivaram, id est oleis et olivis abundante, Deum adoraret, ut dicitur vers. 31, Deique opem et misericordiam (cujus symbolum est oliva et oleum) in tanto discrimine imploraret. Solebant enim prisce ad Orientem versi adorare ob causas quæ recensui *Ezech. VII, 16*. Mons Olivaram autem erat ad orientem Hierosolyme; tum denique ut esset typus Christi, qui in eodem monte Oliveti Patrem orans cum lacrymis et sudans sanguinem, inchoavit passionem et redemptionem nostram, ideoque ex eodem monte post 40 dies a resurrectione gloriosus in cælum ascendit. Audi S. Cyrillum Hierosolytanum Catechesi 2 *De penitentia*: « Cum, inquit, Absalom adversus illum, in est Davidem, arma cepit; quamvis multa illi ad fugam via paterent, per montem tamen Olivaram fugere maluit, firma invocans mente liberatorem illum qui istinc cælos ascensus erat. »

SCANDENS ET FLENS, NUDIS PEDIBUS INCEDENS ET OPERTO CAPITIS. — Hebræi enim sæpe ac postea Romani nudo capite incedebant quasi liberi et expediti; in luctu vero caput operiebant et tegebant, ut patet cap. XIX, vers. 4, et *Jerem. cap. XXIV* et seq.: « Luxit, ait, Judæa, etc., et afflicti operuerunt capita sua. » Vide hic miram Davidis humilitatem, penitentiam, patientiam, qua flens, nudipes et tecto capite lugens, fugam capessit, itaque populum se sequentem ad idem faciendum suo exemplo compellit; quia

Regis ad exemplum totus compenitur orbis.

Nimirum sciebat David sibi non tam cum Absalom, quam cum Deo rem esse: cum itaque prius hisce penitentis armis expugnare decrevit; Deo enim expugnato exarmatus erat Absalom. Audi Salvianum, lib. II *De Providentia*: « Jam si videnda est et ipsius fuge facies, quale illud fuit,

cum tantus rex et tanti nominis cunctis regibus altior, mundo major, omnes admodum suos, cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore; cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, et nudis pedibus incedens, super istis prioris status a seipso exulans, pene jam post se vivens, dejectus usque in servorum suorum, vel, quod grave est, contumeliam, vel quod gravius misericordiam: ut vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publice non timeret. Ita Dei judicio a se aliter effectus, ut ei, quem timebat totus orbis, unus in faciem insultaret inimicus. »

Addit S. Chrysostomus, homil. 3 in *Matth.*, Davidem non tantum in tantis erumnis patientem fuisse, sed et Deo gratias egisse: « Cum illum tyrannum, inquit, fratricidam et parricidam pro se regnantem videret, nec sio quidem scandalum mente concepit. Sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem errare semper et exulare, illum vero regnare, amplector atque suscipio, et habeo pro innumeris, quæ mihi a Deo inferuntur, tribulationibus gratiam. Longe aliter, quam plurimi impudentes pariter et arrogantes: qui, cum ne minimam quidem partem de illius virtute possideant, si quos videant prospere agentes, se vero parvam sufferre molestiam, animas suas non metuntur mille vulnerare blasphemis. »

31. QUOD ACHITOPHEL ESSET IN CONJURATIONE. — Causam dant Hebræi, quod Achitophel ulcisci voluerit vitium nepti suæ a Davide illatum: Bethsabæ enim erat filia Eliam filii Achitophel. Vide dicta cap. XI, vers. 3.

INUTATA, QUÆSO, DOMINE, CONSILIUM ACHITOPHEL. — Erat enim ipse vir valde prudens et magni con-

silii. Porro Deus varios habet modos infatuandi prudentum consilia, idque sine peccato; v. g. obijciendo alia consilia, alias cogitationes, alias rationes et modos, qui prima fronte videantur magis commodi et speciosi, ac tegendo eorumdem incommoda, difficultates et pericula. Ex adverso obijciendo alterius boni consilii, quod a prudentibus suggeritur, difficultates et incommoda, ac tegendo ejus utilitatem et commoda. Sic fecit hic Deus. Effectus enim ut Chusai, amicus secretus Davidis, opponeret se consilio prudenti Achitophelis, illudque suis rationibus everteret. Effectus enim ut Absalomoe ejusque asselcis magis probaretur noxium consilium Chusai, quam utile Achitophelis, ut patet cap. seq. *Ti infatuati* alludit ad nomen Achitophel; hoc enim hebraice idem est quod *frater meus res insula*, ait Pagninus, vel *frater meus ruina*, ait Angelomus et Pagninus.

Sic experimur in nobis, nos una re et ratione aliquando moveri, alias eadem non moveri, quia ejus vis et efficacia aliquando nobis speciosa videtur, alias non videtur: vel ex alia et alia corporis mentisque dispositione, vel ex instinctu Angelis, demonis, vel alioquin socii et amici.

Plura tunc dixit David, si non ore, certe corde, quæ postea in *Psalmo LIV* conjecta sunt. Hinc enim spectant illa in eo: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine. » Et: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero (o Achitophel mihi domesticus et a consiliis) homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, » pro quo S. Hieronymus veritè: « qui simul habuimus dulces secretum. » Deus ergo perfidie Achitophel fidem Chusai, quæ illam superavit, opposuit.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Siba occurrit Davidi fugienti cibos offerens. Mor. vers. 3, Semei maledixit Davidi; unde Absalom eum cum nocem deposuit, sed vult David. Inde, vers. 15, Absalom Jerusalem ingreditur, ac concubinas patris pæthice violat.*

1. Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphibosethi: occursum ejus, cum duobus asinis qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturæ passæ, et centum massis palatharum, et utre vini. 2. Et dixit rex Siba: Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant; panes et palathæ, ad vescendum pueris tuis; vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto. 3. Et ait rex: Ubi est filius domini tui? Responditque Siba regi: Remansit in Jerusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. 4. Et ait rex Siba: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphibosethi. Dixitque Siba: Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex. 5. Venit ergo rex David usque Bahurim; et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et maledicebat. 6. Mittebatque

lapides contra David, et contra universos servos regis David: omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. 7. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial. 8. Reddidi tibi Dominus universum sanguinem domus Saul; quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui; et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9. Dixit autem Abisai filius Sarviae regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, et amputabo caput ejus. 10. Et ait rex: Quid mihi et vobis est, et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit? 11. Et ait rex Abisai, et universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam, quanto magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta praeceptum Domini; 12. si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat itaque David et socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terraque spargens. 14. Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi. 15. Absalom autem et omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed et Achitophel cum eo. 16. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve, rex; salve, rex. 17. Ad quem Absalom: Haec est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo? 18. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam; quia illius ero quem elegit Dominus, et omnis hic populus et universus Israel, et cum eo manebo. 19. Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum? nonne filio regis? sicut parvi patri tuo, ita parebo et tibi. 20. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus. 21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum; ut cum audierit omnis Israel quod fedaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 22. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

1. APPARUIT SIBA PUER MIPHIBOSETH. — « Puer, » id est servus et curator, qui omnia bona Miphiboseth curabat et administrabat. Improbis hic servus inhians heri sui claudi et miseri praedis, ut ea a Davide obtineret, e Jerusalem egressus, imo antecessus Davidem fugientem, ex villa quosdam heri sui, occurrit Davidi cum annona copiosa, crimen falsum perditionis hero suo imponens, ut patet cap. xix, vers. 26.

PALATIBARUM, — id est carycorum, sive ficorum aridarum. Hebraice, *fructuum arborum*.

3. DICENS: HODIE RESTITUIT MIHI DOMUS ISRAEL MENDAM PATRIS MEI, — Jonathan et avi Saulis. Impudens et ineptus fuit haec Sibe in herum suum Miphiboseth calumnia, tum quia ipse, utpote claudas et etiamis, ineptus erat ad regnum; tum quia de eo in regem evchendo sequebantur ut eum regem crearent: quare jure servum hunc ut iniquum et mendacem apud Davidem accensat herus Miphiboseth cap. xix, vers. 26.

4. TUA SINT OMNIA, QUAE FUERUNT MIPHIBOSETH. —

Nimis cito David credit Siba criminanti suam herum Miphiboseth: ideoque eum ut ingratum suis praedis privavit, eaque dedit avaro Siba, qui illa ambiebat. Quare peccavit David, cum tenere Miphiboseth innocentem et inauditum ac miserabilem, atque amatissimum Jonathan sui filium bonis omnibus spoliavit, eaque in Siba ejus servis omnibus distribuit; ideoque permisit Deum ut hanc injustitiam gravissimam ab alio servo injuria compensaret, nimirum ut Semei servus malediceret Davidi suo principi. Postulabat enim divina justitia, ut qui unum servum injuste locupletarat, per alterum gravissime castigaretur. Discant hic principes non temere credere suis servis, dum alios criminantur, ut in eorum opes vel officium succedant. Credula est principum suspicio et ambitio, ubi de eorum honore agitur, ut hic agebatur de regno Davidis, cui nisi periret et fortiter ipsi principes resisterent, facile ea in falsitatem et injustitiam adduci sinant. Unde S. Bernardus, lib. I de Considerat., in fine: « Conspicimus, inquit, callidissimam et persequacissimam calumnia-

fiatis, quae datur calumniae) magnorum neminem comperi satis cavisse versatias. Inde eis ipsis pro nihilo irae multa, indeque innocentium frequens adhaesio, inde praedicta in absentes. » Pressius et magis ad rem praesentem Auctor Imperfecti apud S. Chrysostomum, *homil. 2*: « Rex, inquit, quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum aestimat. Animus ejus semper suspectus est, regi zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facile credit, quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir, si zelet uxorem, aut uxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna et idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. »

3. NOMINE SEMEI. — S. Hieronymus in *Tradit.* ait hunc Semei esse Nabath patrem Jeroboam, qui schisma fecit a Roboam nepote Davidis: eique decem tribus abstulit, sequae earum regem effectit, III Reg. cap. xi et seq. Verum id falsum esse liquet, ex eo quod Semei fuerit filius Jemini, ideoque de tribu Benjamin, ac cognatus Saulis, ut hic dicitur. Jeroboam vero ejusque pater Nabath fuerit ex tribu Ephraim, ut patet III Reg. cap. xi, vers. 26. Ita Abulensis et alii.

Dices: Semei, cap. xix, vers. 20, ait se esse ex domo Joseph; Josephi autem filius erat Ephraim: ergo Semei erat ex tribu Ephraim. Respondeo, Joseph ibi significare omnes decem tribus quorum una erat Benjamin, ex qua prognatus erat Semei, de quo plura ibidem.

ET MALEDICEBAT MITTEBATQUE LAPIDES CONTRA DAVID. — Hebraei tradunt Semei quinque atrociam maledicta et convicia in Davidem conjecisse: vocitasse enim eum primo adulterum, secundo Moabitam, tertio homicidam, quarto leprosum, quinto abominabilem; idque colligunt ex III Reg. cap. i, vers. 8, uti ibidem ostendam. Fuit magna haec Semei protervia, impietas, impudentia, calumnia, audacia, maledicentia aequae ac imprudentia et stultitia: poterat enim et debebat cogitare Davidem, vel quem ex ejus asseclis tantam improbitatem caede ejus ulturum, ut eandem ulus est Salomon: sed ira et furor eum excecavit, ut malum hoc sibi obventurum non prospiceret, nec metueret, ideoque non caveret.

10. ET AIT REX: QUID MIHI ET VOBIS EST, FILII SARVIAE? — q. d. Quid mihi cum vestra indignatione et contentione contra Semei? nolo illam mihi adscribi, nolo illius esse particeps.

MIRA GRADIA DAVIDIS AD MALEDICTA SEMEI. — Mira hic Davidis tanta injuriae tolerantia elucet. Audi S. Ambrosium, lib. I de Davide, cap. vi: « Quam moraliter, inquit, docuit quod injuriarum tempora, examina probationum sint. Exercentur bonus athleta conviciis, exarctet laboribus et periculis, ut dignus sit cui deferatur corona justitiae. » Unde mox citans haec Davidis verba: « Quid mihi et vobis, » etc., exclamat: « O altitudo prudentiae! O altitudo patientiae! O devoranda contumelia grande inventum! Ecce verborum contumelia

parcidii levavit erumnam. Quis secum talem non compenset injuriam, ut quem homo laesit, eum Deus meliorum retributione soletur? »

Aurea est sententia S. Basilii, serm. *Contra irascentes*, in editione Basiliensi: « Neque, inquit, in solitudinibus aho sic integra ad eum, qui vocem emisit, refracta est, velut contumeliam ad conviciatorem revertuntur. » Similis est Tertulliani, lib. *De Patientia*, cap. vii. « Si parum, inquit, aequanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatentia muta. At qui hujusmodi dietis aures obstruxerit ab utroque incommodo eripietur, neque loquens maledicet, neque tacens affligitur. » Ita David suae aures obstruebat: « Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiebam os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, » *Psal. xxxvii*, vers. 14 et 15.

DOMINUS ENIM PRAECEPTUM EI, UT MALEDICERET DAVID. — David, sui adulterii et homicidii conscius, ex humilitate et penitentia cogitabat Deum misisse Semei (etiamsi res se alter haberet) eique jussisse ut haec scelera sibi exprobraret, itaque eum pro meritis castigaret: Semei ergo fuisse quasi licentem Dei; sed quod Deus volebat ex justa vindicta, hoc Semei fecit ex injusto odio et malevolentia, ac plura quam Deus jusserat in eum scelera congressit per calumniam, quorum res non erat David. Sic et praecepti active et proprio accipitur.

Secundo, et praecepti improprie et permissive accipi potest pro permisit, vel potius pro decrevit permittit hanc maledictionem, eamque positive ordinavit ad meam penam et supplicium. Deus enim videns Semei infensum Davidi, quod a Saule cognato suo regnum ad se transulisset, ideoque propensum ad ei expulso et fugitivo maledicendum, ex proposito voluit permittit, ut haec ejus malevolentia in opus maledicentiae exiret, idque directe et positive ordinavit ad hunc finem, ut scilicet Davidis peccata per eam castigarentur, et punirentur. Unde pro praecepti, Hebraei et Septuaginta habent, *dicunt*, id est decrevit, statuit, ordinavit, scilicet permittit hanc malignitatem, ut per eam me pro peccatis affligat, q. d. Ego peccatis meis haec et plura commerui; maledictio haec est justa scelerum meorum vinctio mihi a Deo decreta et irrogata: quare me eandem patienter tolerare, et de manu Dei suscipere oportet, ut filius peccans patienter et amanter suscipit flagellationem patris: Deus enim utitur impiorum impietate, quasi torture ad piorum errata puniendum. Sic praecipere vel mandare accipitur pro ordinare sive jubendo sive permittendo, *Matth.* cap. xix, vers. 7: « Moyses mandavit dare libellum repudii; » id est permisit repudiare uxorem, sed id permittens, mandavit ut non repudiet nisi per libellum publica auctoritate ju-

dicis conscriptum. Sic I Regum cap. xiii, vers. 14, dicitur Deus «precepisse, » id est ordinasse Davidi ut regeret Israel; et corvis «mandasse, » id est ordinasse ut pasceret Eliam, III Reg. cap. xvii, vers. 4; alioqui enim corvi, cum careant ratione, precepti proprii sunt incapaces. Sic III Reg. xiii, 22. Deus daemoni volenti decipere regem Achab ait: «Egredere, et fac ita, » id est permittit ut ita facias. Impii enim ita pendunt et reguntur a Dei providentia, ut non possint quidquam agere nisi habeant ejus *placet*, hoc est permissionem non negativam, sed positivam. Sicut in Republica non possunt degere usurarii et meretrices, nisi habeant *placet*, et permissionem positivam principis et aule terrestri. Et hoc significat, *et precepit*, id est ordinavit. Ita S. Ambrosius, *Apolog. David*, cap. vi: «Non accusat Dominum, inquit, quasi auctorem injurie, sed magis laudat, quod patiar nos minora perpeti, ut majorem veniam peccatorum adipiscamur.» Et S. Bernardus, *serm.* 34: «Prorsus, ait, vir secundum cor Dei, qui de corde Dei forebat sententiam. Sevebat lingua maledictio, et ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledictio in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore Blasphemus Deus? Absit; sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientie sue manifestaverat Deus. Et ideo dicit: Bonum mihi quia humiliasti me.»

Tropologie imitemur Davidem qui, cum malediceretur a Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritis erat, ideoque patienter idipsum tulit. Ita S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. xvii: «Tunc, ait, illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurramus, et majora nos meritis videmus.» Dicit ergo patienter et penitens sibi: Ego Deum lethaliter offendi; ego meritis sum in eternum ardere in gehenna, subsannari et cruciari a demonibus. Non feram ergo verbum hoc maledictum et mordax? Imo vero patiar verba quaelibet et quantalibet, potius quam verbera. Verba enim aurem feriunt, verbera pulsant dorsum. Audi S. Chrysostomum in *Psal. xxxv*, vers. 2: «Cum maledictis me inceseret Semei, peccatum a me commissum revocavi in memoriam, considerans quod propter ipsum maledictis appetor et punior, et regia expulsus, fuga cogor meo saluti consulere.» Et Theodoretus: «Conviciis, inquit, affectus, peccati memini, et stimulis et peccato emissis confitebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, et tyrannide opprimar, et a regis domibus exactus fugere cogar.» Accedit S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. xvii: «David, inquit, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et equanimiter pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credit, quibus se purgari, sibi que misereri posse judicavit. Leve

quippe videtur quod injuria percussur, dum in actione nostra perspicimus, quia pejus est quod meretur; sicque fit ut contumelias gratia magis quam ira debeat. » Hæc ad verbum ex S. Gregorio transcripserunt Eucherius (verius Bedæ) et Angelomus. Audi denique S. Ambrosium, lib. I *Offic.* cap. vi: «Ibat, inquit, tanquam mutus et humiliatus, ibat tacens: nec movebatur, cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propria mansuetudinis. Non ergo movebatur conviciis, qui abundabat honorum operum conscientia. Itaque is qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit injuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despiciat: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.»

Dices: S. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arb.* cap. xx, ait: «Deus voluntatem Semei vitio suo malam in hoc peccatum maledictio Davidi inclinavit.» Ergo peccatum fuit auctor maledictiois et peccati, quod absit. Respondeo, «inclinavit, » id est inclinatum ad maledicendum tenuit, direxit, frenavit, et impedit ne in alium quam Davidem sese exereret, ac permisit ut in eum omne rancoris virus sui effunderet. Sicut qui leonem ligatum catena manu tenet, cum obiectis variis canibus non permittit eum in illos insilire, sed tantum in certum aliquem molossum, tuncque funem laxat, eumque dimittit ut eum invadat, cum eoque duellat, hic dicitur leonem immisisse in molossum, et tamen active et positive non immiserit, sed tantum laxato fune dimiserit et permisit ut molossum aggrederetur: similiter modo Deus hic egit cum Semei, atque cum ejus similibus. Unde subdit S. Augustinus: «Dixit Deus Semei, ut malediceret Davidi, id est cor ejus malum misit vel dimisit.» Tantum enim vult S. Augustinus docere corda hominum etiam impiorum et malevolorum esse in manu Dei, eaque ita concludi et coerceri, ut non nisi ad id quod ipse voluerit, convertantur, nec alio quam quo ei liberit ferri et erumpere nequeant; Deum enim eis ut ad puniendos illos, quos ille punire voluerit. Hinc cap. xxiii, S. Augustinus *Deus obdurat*, exponit, *obdurari permittit* Pharaonem et similes reprobos, additque non Deum, sed liberum eorum arbitrium proprie et positive seipsum obdurans. Denique addit cap. xx, Deum hæc operari in cordibus impiorum per Angelos bonos vel malos. Boni hæc mala operantur indirecte et oblique, mali, directe et impulsivè.

11. ECCE FILIUS MEUS QUI EGRESSUS EST DE UTERO MEO, QUÆRIT ANIMAM MEAM. — Tunc psalmum. III, composuit David, eoque Dei opem invocavit dicens: «Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?» Ubi S. Chrysostomus: «Qui ex me genitus est, inquit, contra me est, sed tunc pro me. Mea mecum viscera bellum gerunt, meos populus. Post Absalomum meus contra me armatur exer-

cius. Oves meæ lupi facti sunt, et leones agni, et incans rabie percit, et agnelli, et cornu petentes tauri, arietes: non propter meipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium.»

12. SI FORTE RESPICIAT DOMINUS. — S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. xlviii, notat hic tres rationes, quibus David probat sibi tolerandam esse hanc Semei maledictionem. «Vide, inquit, quomodo et humilitatem et justitiam et prudentiam emittente a Domino gratie reservaverit. Primo dicit: Ideo maledicti mihi, quia Dominus dixit illi ut maledicat; habes humilitatem, quia ex qua divinitus insperabantur, aquantimur quasi servulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus, qui exivit de ventre meo, querit animam meam. Habes justitiam; si enim a nostris gravior patimur, cur indignè ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertio ait: Dimitte illum ut maledicat, quoniam dixit illi Dominus; ut videat humilitationem meam et retribuatur mihi Dominus pro maledicto hoc. Nec jam solum conviciantem pertulit, sed etiam lapidantem, et sequentem illatum reliquit, quin etiam post victoriam petenti veniam, libenter ignovit. Quod eo inserui, ut Evangelico Spiritu sanctum David non solum inoffensum, sed etiam gratum fuisse convicianti Joerem, et delectatum potius quam exasperatum injuriis; pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur.»

13. INGREDERE AD CONCUBINAS PATRIS TUI. — Quinta et hæc pena Davidis, illaque congrua erat. Sicut enim ipse violaverat secreto Bethsabæe; sic Absalom violavit ejus concubinas, id est secundarias uxores, non secreto, sed publice in conspectu totius populi; quæ magna fuit impudentia, impietas et libido. Dedit Absalomo hoc consilium vaser, sed impius Achitophel, ejusque causam subiecit dicens:

U, CUM ADIERIT ONNIS ISRAEL QUOD FOEDAVERIS PATREM TUUM, ROBORENTUR TUEUM MANUS EORUM, — ut scilicet sciant te implacibile contra patrem odium concepisse, itaque excludatur omnis spes et timor reconciliationis et roboventur in conspatione tua contra ipsum promovenda et perficienda. Multi enim prudentes metuebant se jungere Absalom, eo quod cogitarent: Absalom quasi filius facile reconciliabitur patri, idque curabit pater; sed ipse tunc suam iram et vindictam in nos convellet et vomet. At jam videntes eum violasse uxores patris, judicabant eum esse irreconciliabilem patri, ideoque roborabantur in sua cum eo contra patrem conjuratione. Ita Theodoretus: «Timentes, inquit, Achitophel ne natura eos (Davidem et Absalomum) rursus conjungeret, deinde si fieret conciliatio, penas daret proditoris, extremam illam suggererat iniquitatem, ut reconciliationi nullus pater aditus. Statim autem dedit penas illius impie et nefarie suasionis: et quoniam in patrem armavit filium, ipse rursus

in se armavit manus, et iis laqueum collo injiciens misericordiam sustinuit finem. Nam cum ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admittit ejus suasionem Davidis futuram credit victoriam; et timens proditorem: sua manu de se sumpsit supplicium.»

14. TETENDERUNT ERGO ABSALOM (in dativo) TABERNACULUM IN SOLARIO. — Hoc est in tabulato sive tecto (tecta enim in Judæa erant plana quasi tabulata), ut a toto populo conspici possent: populus enim videbat concubinas ingredientiæ tabernaculum, et post eas sequentem Absalomum, ut facerent fornicatores sequentes suas pellices in fornicibus; actum vero ipsum turpem non videbat, quia tabernaculum velabatur cortinis: alioqui enim res hæc fuisset nimis impudens et populo execrabilis, uti idcirco fuit Cynicorum secta, quorum parens fuit Diogenes, qui ob caninam hanc invenientiam dicitur est Cynicus, id est caninus.

INGRESSUSQUE EST AD CONCUBINAS PATRIS SUI CORAM UNVERSO ISRAEL. — Audi Salvianum, lib. II *De Providentia*: «Impurior necitas, ac crucior filius; quia interficere patrem non potest parricidio, fedat incestu, et quidem incestu præter incestu nefas, per industriam accumulandi sceleris elato; cum utique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publice perpetraret: scilicet ut feratissimo crimine non pater tacito absconso deformatetur, cum oculi etiam totius orbis publico fedarentur incestu.»

15. CONSILIVM ATRIM ACHITOPHEL, etc., QUASI SI QUIS CONSULENT DREM, — id est, habebatur ab omnibus prudentissimum et divinum, *q. d.* Consilium A. Achitophel estimabatur quasi oraculum. Nimirum homo versipellis et impius accomodat se temporis et personis, ac Davidi pio pia dabat consilia, Absalomo autem impio, impia: quæ prudentia erant secundum diabolum, at non secundum Deum. Erant enim appoita ad fovendam ejus ambitionem et tyrannidem, sed opposita virtuti, pietati et obedientie, quam filius debebat patri. Sic et hodie in aula Principum non desunt consiliarii, qui ad omnem ventum auramque Principis se suaque consilia inflectant, ut cum probo sint probi, cum improbo improbi. Nolo fuit nuper in Anglia Consiliarius magni nominis, qui cum Maria regina Catholica erat Catholicus, fingebatur se mire devotum et piun; ac succedente Elisabetha in fide heterodoxa larvam detrahit, gessitque se ut hereticum, et Catholicos persecutus est: idem tamen volebat haberi Catholicus Catholicus. Cupiebat enim audire politicus, et omnibus placere, omniumque gratiam inire. Unde cum quidam e Patribus Societatis nostræ (qui mihi hæc in Belgio olim narravit) in Angliam captus ab eo secreto rogaretur, quid Transmarini et principes Catholicæ de se sentirent, arguit, sed apposite veraciter respondit: Domine, ipsi asserunt te imitari orbis inferiores colorum qui sequuntur

motum primi mobilis; sic enim te sequi autum noluntque Regina. Talis quoque fuit Volsæus ille, qui Henrico VII, ut ejus libidini assentaretur, sepudii Catharinæ uxoris, indeque omnium Angliæ malorum fuit causa. Unde justo Dei iudicio in Henrico VIII indignationem incidit, misereque perit dicens: « Quia magis placere studui

regi quam Deo, hinc justè Dei iram incurri, et regis gratiam amisi, » uti refert Sandertus in *Schismate Anglicano*. Utinam nostri Achitophelès, ejus exitum intuentes, ejusdem mores et consilia politica detestarentur, ac ejus suspensio raperent, ne similem mortem præsentem et æternam sibi consciscerent!

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Achitophel vtrum utileque consilium dat Absalomo; sed illud dissipat Chusai, qui illud, vers. 15, curat remitti regi Davidi, ut sibi fuga consulat, transeatque Jordanem. Quare, vers. 22, transit eum vadit, sequitur Absalom. Max, vers. 27, Sobi, Machir et Bersellai anomam castris Davidis inferunt.*

1. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percutiam eum; cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatam. 3. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet; unum enim virum tu quaeris, et omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo ejus Absalom, et eunctis majoribus natu Israel. 5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel: Facere debemus, an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursus intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursæ raptis catulis in saltu sæviat, sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco; et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, et dicet: Facta est plaga in populo qui sequitur Absalom. 10. Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur; scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Barsabee, quasi arena maris innumerabilis, et tu eris in medio eorum. 12. Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit, et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: et non relinquemus de viris qui cum eo sunt, ne unum quidem. 13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi fumes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiat ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, et omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel; Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus: Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, et senioribus Israel; et ego tale et tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere; ne forte absorbeat rex, et omnis populus qui cum eo est. 17. Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fontem Rogel; abiit ancilla et nuntiavit eis: et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium; non enim poterant videri, aut introire civitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom; illi verò concito gradu ingressi sunt domum ejusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. 19. Toltit autem mulier, et expandit

velamen super os putei, quasi siccans plüsanas; et sic latuit res. 20. Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas et Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nuntiaverunt regi David, et dixerunt: Surgite, et transite cito fluvium, quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo David et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Jordanem, donec diluisceret; et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium. 23. Porro Achitophel, videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam et in civitatem suam; et disposita domo sua, suspensio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. 24. David autem venit in castra, et Absalom transivit Jordanem, ipse et omnes viri Israel cum eo. 25. Amasam vero constituit Absalom pro Joab super exercitum; Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jesraeli; qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarvie, quæ fuit mater Joab. 26. Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad. 27. Cumque venisset David in castra, Sobi filius Naas de Babbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Bersellai Galaadites de Rogelim, 28. obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fœcilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et fruxum cicer, 29. et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos, dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum; suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.

1. PERSEQUAR DAVID.—Erat hoc utile consilium. Si enim Achitophel fugientem Davidem e vestigio, cum lecto milite fuisset insecutus, utique eum inermem, desertum et imparatum oppressisset: at eum, suadente Chusai, interjecta fuit mora, David undique dispositis, itaque conficiens eum rudi populo Absalomi eum prostravit. Celeritas enim in bellis plurimum valet. Unde illud Julii Cæsaris: « Veni, vidi, vici. » Et illud Caroli V: « Veni, vidi, sed vicit Christus. » Audi ipsam Cæsarem contra Pompeium dimicantem, apud Lucanum, lib. 1:

Dum trepidant nullo firmate robore partes,  
Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Cum enim, ut narrat Plutarchus in *Apophtheg. Rom.*, Pompeius instructam aciem apud Pharsalum inibi consistere, et hostem operiri jussisset, Cæsar dixit illum errasse, qui vim, impetum ac divinam afflatum animorum ad incursionem paratorum mora relaxasset.

9. FORSTAN NUNC LATITAT IN FOVEIS, — q. d. Eliamsi invadamus castra Davidis, ut suadet Achitophel, forte non inveniemus eum, quia ipse sese in antris absconderit; scit enim se a te quaeri, nec tibi posse resistere. Differamus ergo donec totum Israelem congregemus, qui eum distributis aciebus per omnes montes, valles, sylvas, antra et speluncas perscrutentur, obsideant et capiant.

11. CONGREGETUR UT TE UNIVERSUS ISRAEL. — Non hoc volebat Chusai, sed id suæ sententiæ preterit, ut daretur mora Davidi ad fugiendum et comparandum prælium. Politice discant hic prin-

cipes rebellionem et seditionem omni ratione et modo esse præcavendam, curandumque ne oriantur; si autem jam orta sit et conflata, injiciendus ei esse moras et remoras; tum quia furor populi et animorum ardor tempore languescit et subsedit; tum quia princeps contra illam interim se munire et armare potest, ac consilia multa captare ad eam discutendam. Multis id exemplis demonstrare possem. Unum tantum afferam Fabii Maximi, qui a mora quam tumultuantibus, ac præsertim Annibali ad prælia ferventi et ardenti injiciebat, cognominatus est *Cunctator*, de quo illud:

Unus homo nobis cunctando resistit reus.

Ipse enim, ut ait Plutarchus in ejus *Vita*, « cum hostes intelligeret difficultato laborare stipendii, cunctandum censuit Romanis, nec pugnam eum homine qui exercitum haberet multum ad id ipsum duratum præliis; ceterum submittenda ad id eis auxilia, oppidaque in potestate tenenda, dum vigor ille per se Annibalis, sicut flamma exigua et levi excitata vi marcesceret. » Audi rursus quid de eo scribat Julius Frontinus, lib. VI *Stratog.* cap. 1: « Fabius Maximus non ignarus Gallos et Samnites primo impetu prævalere, suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperavit militibus ut contenti essent primo congressu sustinere, ut hostem mora fatigaret; quod ubi successit, admo. etiam submittendo suis, in prima acie universis viribus oppressum fudit hostem. » Sic Chusai hic injiciens moras rebellionis Absalomi, eum dissipavit.

13. CIRCUMDADIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FU.—Vers. 13.



